



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 128. Vehemens epistola ejusdem ad Papam

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



nus in eos arma verterent, nihil obstare, Sæcul. XV.  
 nisi eorum vel socordiam, vel dissensio- A. C. 1453.  
 nem; utraque ergo rejecta, si non auri,  
 vel inanis gloriæ cupiditate stimulatî, sed  
 unice Fratrum suorum salutem, ac fidei  
 Christianæ incrementum procurandi stu-  
 dio accensi arma sumerent, Deum quo-  
 que abs dubio potenti ope præsto futu-  
 rum, suamque Ecclesiam defensurum.

## §. CXXVIII.

*Vehemens Epistola Æneæ Sylvii ad  
Papam.*

Misit quoque Æneas Sylvius literas ad  
 ipsummet Papam, in quibus eidem  
 ob oculos ponebat, ipsi præ reliquis Con-  
 stantinopolitanæ urbis excidium magis  
 esse deplorandum; si vero omnibus viri-  
 bus Turcas propulsare, urbemque illis e-  
 ripere negligeret, eundem nomini suo tur-  
 pissimam inusturum maculam; nihil e-  
 nim Pontificia dignitate indignius fore,  
 quam si in fastis ejus referretur, sub Pon-  
 tificatu Nicolai V. urbem Constantinopo-  
 litanam a Turcis fuisse captam, licet ipse  
 miseræ civitati opem ferre, omni conten-  
 tione studuisset, sicque famam ejus abs-  
 que propria culpa obscurandam. Hor-  
 tabatur demum Papam, ut ea sedulo exe-  
 queretur, quæ per Cardinalem S. Petri  
 proposuisset Imperator; hunc enim, Syl-  
 vius



Sæcul. XV.  
A.C. 1453.

vius dicebat paratum ad omne id exequendum, quicquid Sanctitas sua pro communi utilitate opportunitum judicaret. Alteram adhuc epistolam Dionysius Carthusianus tum ad ipsummet Papam, tum ad Principes, Episcopos, atque Magnates perscripsit, in qua significabat, Deum peccata Christianorum urbis Constantinopolitanæ excidio castigasse, vitam proinde emendarent, omnique studio recens illatam Ecclesiæ injuriam vindicarent.

## §. CXXIX.

*Mahometis bellum in Scanderbegum.*

Scanderbegus sub Mahometis II. imperio variis bellis septem aut omnino octo exercitus, quibus eum Turcæ obruere moliebantur, jam vincere assuetus profligavit, nec aliquando, ut fama fert, ullo vulnere faucius, quamvis propria manu duo millia Turcarum & amplius trucidasset. Sultanus hanc cladem ulturus, capta Constantinopoli, totam bellivim adversus Scanderbegum exonerabat, urbemque Sphetiam in potestatem suam redegit, an vero ipse Mahometes bello præfens fuerit, incertum est; quippe, Bartletio teste, Mahometes ipse non adiit Albaniam; intelligendum igitur hoc de ipsius belli Ducibus, quos frequenti admodum clade Scanderbegus protriverat, adjutus